

Nikolashafen.

XI.

12. Januar 1532.

Claudius Cantiuncula an Heinrich von Jetstetten.

D. Henrico ab Jetstetten,

affini suo

S. Video satis, quo praetextu silentii istius diurnitatem tegere omnemque in me culpam reicere pares, adfinis longe omnium charissime. Nempe quod Argentorati spem fecerim tibi, futurum ut e Christianis castris reuertens ad uos disgrederer, spem quidem fecisse haud infitior, nam nec ego diorsum speraueram; uerum quum stipulatio tua non ultra spei limites progressa sit, fraudi mihi esse non debet, si rerum necessitate adactus nostrae utriusque expectationi respondere nequierim. Aio equidem atque affirmo, impossibile per principis mei negotia fuisse mihi, uel tum, uel ab eo tempore, uel etiamnum ad uos ire. Cuius modi causam aliquam subesse, quae me sponsionum alioqui non negligentissimum alio raperet etiam reluctantem, cum diuinare potueris, iam non uideo, quam iustus esse queat praetextus ille fictus, quem ex incerto euentu ceu firmum recepisti; siquidem tamen ita recepisti ac non potius amici absentis obliuioni imputandum est hoc tuum silentium. Quur enim, quum ad uos non ueni, non peculiarem ad me tabellarium uel impensis meis (ita enim aliquando inter nos conuenerat) ultro misisti? Quur, si non placitis non satisfecisse putabas, non per litteras expostulabas? Aut numquid non¹ fuit quo de me certiozem faceres, uel rerum tuarum uel aui uel matris uel sororis? Fuere profecto complura scribendi argumenta, sed hoc ego pridem infortunio exerceri consueui, ut a selectioribus amicis rarissimus accipiam. Itaque decreueram ipse proprium nuncium breui ad uos transmittere, cum alius affinis hic meus, consobrinus tuus Joannes Leo a Brinningen,² peropportune oblatu est, qui nostras ad uos tuto deferret, quibus lectis oro mox nos de rebus omnibus et per singula capita copiose facias certiozem. Tabellarium tuum quanti locaueris scribe. Eius auctoramentum ego mea fide esse iubeo. Soror tua ualde praegnans

¹ Die Hs. hat nunquid nam.

² Johannes Leon. von ‚Bynnigen‘ wird um 1529 als Verwandter Cantiuncula's von diesem genannt (Brief an Bon. Amerbach bei Rivier l. c. 45.).